



Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLXXIX. Præmia Spontaneam Paupertatem profitentibus
destinata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

362 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum,
in minimo eam offendas, sed summo illam studio
colas.

M E D I T A T I O CCCLXXIX

*Premia Spontaneam Paupertatem
profitentibus destinata.*

Matth. 19. v. 27.

PUNCTUM I. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce
nos reliquimus omnia, & securi sumus te: quid ergo erit
nobis? Matth. 19. v. 27. Vide, an hoc ipsum cum veri-
tate dicere possis; & an re, & affectu reliqueris omni-
ut nulli creaturæ animus adhæreat. An etiam lequa-
ris Christum, insistens Vestigijs ejus, & in neutram
partem deflectas. Deinde si omnia reliquisti, pudeat
iterum rei vilissimæ adhærere. Si Ducem Christum
elegisti, neminem alium deviantem sequaris.

PUNCT. II. **JESVS** autem dixit illis: Amen dico vobis,
quod vos, qui secuti estis me, in Regeneratione (id est,
in Resurrectione mortuorum) cùm sederit Filius ho-
minis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super Sedes dia-
decim (id est, tot, quot estis futuri, sequentes me) ju-
dicantes duodecim Tribus Israël (per quas universitas ho-
minum significatur, etiam non descendentium ab
Israële.) Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut
sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios,
aut agros, propter Nomen meum, centuplum accipiet, &
Vitam Æternam possidebit. v. 28. S. Marcus ita refert c.
10. v. 29. Respondens **JESVS** ait: Amen dico vobis: Nema-
est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut pa-
trem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & pro-

pter Evangelium (ejus consilio , & promissione impulsus) qui non accipiat centies tantum , nunc in tempore hoc (id est , qui non accipiat pro bonis temporalibus Spiritualia , & Solatia Spiritualia plusquam centies æstimabiliora ijs , quæ ex bonis temporalibus , & ex Consanguineis percipiuntur) domos , & fratres , & sorores , & matres , & filios , & agros , cum persecutionibus , & in Sæculo futuro Vitam Æternam . Considera , quæ , & quanta sint hæc Promissa . Sicut enim Christo in præmium suæ Obedientiæ data est Potestas , significata per verba paulò ante mortem proleta : Veruntamen dico vobis : A modo videbitis Filium hominis , sedentem à Dextris Virtutis DEI , & venientem in nubib⁹ Cæli . Matth . 26. v. 64. Sic sequentibus Christum promittitur proxima Assensio coram Christo Judice , id est , proxima Dignitas & Excellentia supra alios , & Gratia ac Favor apud Supremum Judicem ; quali gaudet , qui as fidet , non ut judicandus , sed ut judicaturus , seu calculo suo comprobaturus sententiam in alios profrendam . Deinde promittitur Centuplum in hoc mundo , & Vita Æterna in Cælo . Quis pro tantis Promissis non dimittat bona vilissima hujus Mundi ? Quis non sequatur præeuntem , ut assideat sedenti à Dextris Virtutis DEI ?

PUNCT. III. Observa , inter maxima præmia Voluntariæ Paupertatis , & Sequelæ Christi , numerari etiam Persecutiones . Unde hæc inter maxima bona à nobis computandæ sunt , & grato ac læto animo suscipiendæ , nec admittendæ prosperitates temporales , nisi Cum Persecutionibus internis , vel externis .

MEDI